

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXXIII. Referens, Quid Jesus Absentibus Apostolis Egerit, Et
Quomodo Apostoli Demandato Munere Defuncti Fuerint. Matth. 11. v. 1.
Marc. 6. v. 12. Luc. 9. v. 6.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

sublevemus & confirmemus. Non peribit nobis hoc propensissimi officium. Notemus autem 1. quod hæc merces non aliter, quam de liberali & veluti gratuito præmio sit accipienda. Ne quis hoc ad meritum bonorum operum trahat. Quis enim pro levi hoc opere, si porrigat sitienti aquam frigidam, se vitam æternam promereri posse statueret? 2. Notemus etiam, quod recipere non tantum significet hospitio suscipere, & officia humanitatis externa tanquam ex opere operato præstare: sicuti Pharisei Luc. 7. v. 36. & 14. i. Christum in suas aedes deduxerunt, & mensæ suæ adhibuerunt. Sed significat doctrinam ministrorum verbi audire, eamque vera fide suscipere. Quemadmodum Paulus testatur Gal. 4. v. 14. se sicut Angelum Dei, sicut Jesum Christum à Galatis exceptum fuisse. Idem etiam de Thesalonicensibus testatur, 1. Thess. 2. v. 13. 3. Denique notemus etiam abusum hujus γλώσσης vel sententiæ, qua interdum Impostores, quales hodie

sunt Anabaptistæ, Sectarii, Jesuitæ quoque, & qui se sub Apostolorum nomine venditant, hoc praxi ubique receptum quarunt, simplicioribus persvadentes, quod in ipsis Christum, imo Deum ipsum suscipiant. Sed attendant, quod Christus non frustra ter inculcet, tales recipiendos, *in nomine Prophetæ, in nomine justî, in nomine discipuli*. Ergo ante omnia demonstrent, se germanos esse Christi discipulos: demonstrent, se veram & ordinariam habere à Christo vocationem, seque ab ipso missos esse: demonstrent denique, se non hominum commenta, sed Christi Evangelium prædicare. Tum ipsi quoque dicemus, eos audiendos esse, ut Christus est audiendus. Absque hoc si fit, Joan. nobis dicit, Epist. 2. v. 10. Si quis venit ad vos, & hæc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. Et hæc de missione Apostolorum dixisse sufficiat.

CAPUT LXXIII.

REFERENS, QUID JESUS ABSENTIBUS APOSTOLIS
EGERIT, ET QUOMODO APOSTOLI DEMANDATO MUNERE
DEFUNCTI FUERINT. MATTH. 11. v. 1. MARC. 6. v. 12.

LUC. 9. v. 6.

RATIO ORDINIS.

Hic præterea αἰολοῦσθαι, seu nexu historia- rum hoc loco planus & apertus est. Postquam enim capite præcedenti expositum est, quomodo Dominus noster Jesus Christus Apostolos suos ad prædicandum emisit, & eosdem mandatis diligenter instruxerit, quid & quomodo prædicare, & quales se inter pericula, quæ subituri sint, gerere debeant, non potest commodius

ulla alia historia subtexi, quam hæc, qua narratur, partim, quid Christus ipse fecerit, postquam Apostoli ab ipso digressi per Judæam & Galilæam Evangelium de ipso prædicarunt, partim quomodo Apostoli legationem à Christo demandatam obierint. Et illud quidem Matthæus, hoc verò Marcus & Lucas præcedentibus è vestigio subjungit: ut dubium nullum sit, illis hunc locum in Harmonia attribui debere.

HISTORIA DE PRÆDICATIONE CHRISTI ET APOSTOLORUM IN
PRIMA EORUM LEGATIONE.

MATTH. 11.

1. Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς δεκάτρεας μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν ἔδιδασκεν καὶ κηρύσσει ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν.

1. Et factum est, cum finem fecisset Jesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc, ut doceret, & prædicaret in civitatibus illorum.

MARC. 6.

12. Καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον, ἵνα μεθενοήσωσι.
13. Καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλον, καὶ ἤλειπον ἑλαΐφ πολλὰς ἀρρώστιας, καὶ ἐθεράπευον.

12. Et egressi prædicabant, ut respicerent.
13. Et demonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos egros & sanabant.

LUC. 9.

6. Ἐξερχόμενοι δὲ διήρχοντο καὶ τὰς κώμας, ἐυαγγελίζοντο καὶ θεράπευοντες πάντας.

6. Egressi autem circumibant per castella, evangelizantes, & curantes ubique.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ.

Quia particula illa, *in civitatibus illorum*, dupliciter accipi potest, uno modo, ut relativum eorum, referatur ad Judæos, quod Christus

etiam prædicavit in civitatibus Judaicis, sicut Apostolis injunxerat, ut saltem in illis docerent: altero modo, ut referatur ad Apostolos, quod Christus eos

eos subsecutus sit, ut prædicationem ipsorum confirmet, & si quid omisum esset, sarciat. Ideo etiam Harmonia, maxime si posteriore modo illa particula accipiatur, sic ordinari possit, ut quæ de egressis Apostolis Marcus & Lucas referunt, præmitterentur: Matthæi autem narratio de Christo

a και εγενετο, οτι ετελεσεν ο ιησους διαταξων τας δεκα μαθητας αυτου, μετεη εκειθεν & διδασκειν και κηρυσσεν εν τας πολεις αυτων. η εβρηχοιμοι & θηραχοιτο, & τας κωμας, βευαγγελιστοι, ινα μετανοησωσι, και θρασυωντες πενταχως, και δαιμονια πολλα εββαλων, και ηλευθον ελαιω πολλωσ αρρωστας, και εθεραπευεν.

postponeretur. Sed quia Matthæi verba distrahenda fuissent, sicq; sensus ipse intricatior redditus fuisset, in nativo suo ordine, sicut Matthæus prior scripserat, & reliqui duo Evangelistæ eum secuti sunt, singula relinquere volui.

a Et factum est, cum finem fecisset Iesus mandandi duodecim discipulis suis, progressus est illinc, ut doceret, & predicaret in civitatibus illorum. h Egressi autem circuibant per castella, & predicabant, evangelizantes, ut respicerent, & curantes ubiq;. Et demonia multa eiciebant, & ungebant oleo multos agros, & sanabant.

Periocha hujus Historia.

IN hoc capite duo referuntur. Unum de Christo, quid is fecerit digressis Apostolis ad Evangelizandum, alterum de Apostolis, quomodi illi a Christo demandatum docendi munus exsecuti sint. Utrumque seorsim expendendum.

1. In Christo habemus exemplum. indefessi studii promovendi ea, quæ ad salutem humani generis spectant. Jam ante doctrina sua compleverat tam Judæam quam Galilæam. Nunc quoque duo decim Apostolos sibi substituit, utidem, quod ille prior docuerat, amplius inculcent. Ipse tamen propterea non in officio suo cessat, sed ut fidelis Dux illos insequitur, quo riget, quod illi plantarunt, vel potius incrementum ipsis det, 1. Cor. 3. v. 7. Ratio subest: quia novit, hominibus dormientibus; inimicum zizania sua bono semini adspargere, Matth. 13. v. 25. novit Satanam se interdum transfigurare in angelum lucis, 2. Cor. 11. v. 14. ut sic simpliciores & incautos fallat, & a simplicitate verbi abducatur. Custos igitur hic Israelis nec dormit, nec dormitat, Psal. 121. v. 4. Sed vigilat, & passim attendit, ut in Ecclesia sua bene constituta sint omnia, & veritatis atque salutis doctrina in domo Dei maneat incorrupta. Docet hoc exemplum Christi omnes verbi Dei ministros & Ecclesiarum Pastores, præsertim vero eos, qui in eminentiore dignitatis gradu constituti, aliorum Inspectores sunt, qua cura & sollicitudine munus suum obire debeant. Væ ergo illis Pastoribus, qui in officio suo desides sunt & negligentes: qui potiorem curam habent rei familiaris, quam Ecclesiæ: qui genio & vino indulgent, qui sæpius chartas luforias, quam folia Biblica vertunt. Tales infideles servos Dominus, quando venerit ad iudicium, dissecat, & partem eorum ponet cum hypocritis, Matth. 24. v. 51.

2. Per ἀνακεφαλαιώσιν autem Evangelistæ præmittit, Christum ad docendum progressum esse, postquam finem fecisset mandandi duodecim Apostolis. Διατάσσειν significat ordinare, disponere, instruere. Varinus sic explicat: οἶον ὁ βασιλεὺς διατάττει τὰς ὑφ' αὐτοῦ κωμηκοῖς φυλακὰς ἔχειν. Vere Christus est Rex & Imperator noster, qui Apostolos suos, & Verbi ministros disposuit ad custodiam gregis Dominici. His ergo in præcedentibus præscripsit, quales se in suo munere gerere debeant. Ita ut vere præcedens caput ex hoc Evangelistæ verbo διαταγμα, sive, ἡ & βασιλεὺς ἡμῶν ωσευρη, Harm. Tom. 1.

cœlestis nostri Regis instructio dici possit. Repetit autem hoc Evangelistæ, ut ostendat, Apostolos non sponte sua ad prædicandum excurrisse: nec nisi ordinatos & certis mandatis instructos hoc tantum munus suscepisse. Perpetuum enim hoc est, quod Dominus in Ecclesia non vult habere temere currentes, sed legitime missos, Jer. 23. v. 21. & quod vult, ut in Ecclesia omnia fiant ordine & decenter, 1. Cor. 14. v. 40.

3. Quid fecerit Christus, diserte indicat. Progressus est, inquit, διδασκειν και κηρυσσεν, ut doceret & predicaret. Docere dicitur inter eruditos in Synagogis, ubi causas sui adventus explicavit, rationem novæ suæ doctrinæ exposuit, & de mysteriis regni Dei sectatores suos accuratius instituit. Prædicare autem dicitur, cum reliquam turbam docet, cum in publicis cœtibus populi, qui literas non novit, versatur, ubi sermonibus suis consolationes, admonitiones, objurgationes & redargutiones, (prout opus fuit) aspergit. Hanc autem differentiam esse inter docere & predicare eruditiores non inepte existimant. Ideo non debet temere improbari illa sententia, qua aliqui in loco Paulino Ephes. 4. v. 11. (ubi agit de illo beneficio Filii Dei, quo assidue Ecclesiæ suæ de piis & salutaribus Antistitibus prospicit, & eorum aliquot ordines, Apostolorum nimirum, Prophetarum, Evangelistarum, Pastorum & Doctorum recenset, quibus ad ædificationem Ecclesiæ utatur) Pastorum & Doctorum ordines ita distinguunt: quod per Pastores intelligendi sint ii, quibus cura pascendi gregem Domini ministerio Verbi & Sacramentorum publice commissa est: per Doctores autem præcipue eos, qui in Scholis docent, & veritatis cœlestis Professores agunt. Uterque certe ordo hoc in loco Christi exemplo quasi consecratur, & auctoritatem suam accipit. In oculis sapientum, hujus seculi abjectum sane & vile munus habetur, sive in Ecclesia sive in Scholis docere. Quia tamen ipsum Dei filium non puduit, dum in his terris versatus est, utroque munere fungi, incomparabiliter pluris faciamus hoc exemplum filii DEI, quam iudicium perversi mundi. Et sufficiat nobis officium hoc docendi & prædicandi, καλον εργον, præclarum & honestum opus esse, 1. Tim. 3. v. 1. in oculis Domini, in conspectu sanctorum angelorum, & electæ Ecclesiæ Iesu Christi, ut cuncte mundanis hominibus dicamur homines de schola: vel, homi-



homines de templo. Nam certum est, non casu fieri, sed speciali Dei providentia res Ecclesiæ ita gubernari, ut semper sint in Ecclesiis & Scholis, qui hoc officium sustinent, ut sonent doctrinam divinitus revelatam, quique sua cura in id invigilant, ut depositum verbi sacrum rectum ad posteros transmittatur, & vel ipsi Pastores animarum & ovicularum Christi in templis agunt, vel alios ad hoc sacrosanctum munus sua informatione & institutione in scholis præparant. Ideoque tales fideles *εργάται* à Deo dati cum gratiarum actione sunt suscipiendi in honore & reverentia habendi, ne Deus ob ingratitude nostram dona sua rursus à nobis auferat. De miraculis, quibus Christus doctrinam suam confirmavit, hoc loco nihil additur. Theophylactus putat, Dominum studiose à faciendis miraculis abstinuisse, quamdiu Apostoli prædicabant, & ad edenda miracula emissi fuerant, ut tanto major esset illorum auctoritas. Neque enim semper & perpetuo miracula sunt sigilla, synceram doctrinam consequentia, ut illam confirmet. Sed quando doctrina jam est confirmata, non amplius opus est miraculis. Ut enim donum linguarum, ita etiam reliqua miracula, signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus, 1. Cor. 14. v. 22. Qua de causa etiam hodie minime opus est, ut doctrina Evangelii miraculis confirmetur, quia mysterium hoc pietatis jam creditum est in mundo, 1. Tim. 3. v. 16.

4. Annotatur etiam, ubi docuerit & prædicarit. *In civitatibus eorum.* Hoc bifariam, & de Judæorum civitatibus, & de iis, in quibus Apostoli priores prædicarint, intelligi posse, jam ante dictum est. Sed nescio quomodo hic posterior sensus magis mihi arrideat. Maxime quia etiam Luc. 10. v. 1. ubi septuaginta emisit, eos binos misit ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo ipse venturus erat. Ostendit ergo Christus primum, se esse Visitatorem, qui operas suorum inspiciat, laboribus ipsorum benedicat, & sicubi quid omisum sit, ipse sarciat. Hæc cura in Ecclesia etiam summe est necessaria. Ut nimirum ordinariæ earum Visitations instituantur, in quibus doctrina fidei amplius confirmetur in cordibus eorum, qui jam crediderunt. Hinc non tantum in Veteri Testamento Elias & Elisæus quotannis visitarunt scholas fidei suæ commissas: Sed etiam in Novo Paulus & Barnabas visitarunt Ecclesias, in quibus prius prædicaverant verbum Domini. Act. 14. v. 20. & 15. v. 36. Reliqui Apostoli quod corpore præstare non poterant, missis peculiaribus Epistolis id sarciverunt. Quas etiam propterea Catholicas seu universales inscribere, quia inservirent institutioni omnium. Nam experientia docet, quam facili momento res etiam benedictæ & susceptæ corrumpantur, & in sinistram sensum trahantur. Possetne ulla Ecclesia rectius institui & ordinari, quam à Paulo informatæ erant Ecclesiæ Corinthiorum & Galatarum? Et tamen quam graves & enormes lapsus atque errores in illas irrepperint, Pauli Epistolæ docent. Eos nisi Apostolus sua fide & diligentia correxisset, mature de illorum salute actum fuisset. Nemo ergo ullam curam vel sollicitudinem hac in parte supervacaneam judicet (sicuti interdum ob exiguas expensas Ecclesiarum visitationes suspendunt) cum ipsi et-

iam fideles quotidiana instauratione & confirmatione opus habeant. Ut ergo olim prudentiores gentes in Rebus publ. bene constitutis habuerunt suos *εργολόγους*, quorum officium fuit aliorum operas inspicere & urgere, ut singuli operi sibi commissio instent, quales apud Athenienses *Νεμοφύλακες*, apud Spartanos *Ἐφοροί*, apud Romanos Censores fuerunt: ita revera prodest in Ecclesia ordinis causa retinere & Inspectores sive (ut Apostoli nominarunt) *Προσπίτες*, quos hodie Superintendentes vocant, & Visitatores, quorum aliqua sit auctoritas & potestas in inferiores. Alias *ἀναρχοί* in Ecclesia orietur, quæ illam licentiam parit, de qua Jud. 2. r. v. 24. legitur, quod faciat unusquisque, quod sibi rectum videtur, quia nihil est pernitiosius, nihil exitiosius.

Deinde quod Christus Apostolos suos insecutus est, etiam veritatem ostendit ejus, quod modo dixerat: *qui vos recipit, me recipit.* Et quod tum fecit, id semper ipsum facere statuendum est. Hic enim consuetus Dei mos est, ut prius nos per suos servos & cooperarios conveniat, à quibus verbum Dei audire, & voluntatem ipsius addiscere debemus. Postea ipse Christus se ulterius per Spiritum suum manifestat, & ad ipsos cum toto gratiæ divinæ thesauro divertit, & facit, ut in fide & universis cœlestibus donis abundant. Nam habenti dabitur, Matth. 13. v. 22. De hoc Dei more loquitur Joan. 14. v. 22. Moveat hoc omnes, ut verbi auditum magni faciant, nec ejus præcones vel scurriliter rideant, vel hostiliter persequantur. Sicuti, proh dolor, hoc apud quam plurimos hodie usitatum est. Quid ergo mirum, quod Dominus non venit ad ipsos, sed potius, simul secum sublata omni sua benedictione, procul ab ipsis recedit, & gravi sua ira ipsos premit? Nos potius audiamus pium Regem Josaphatum, civibus Hierosolymitanis dicentem: Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis: credite Prophetis ejus, & cuncta prospere evenient, 2. Par. 20. v. 20.

II. In Apostolis habemus exemplum, quomodo ii, qui ordinaria & legitima vocatione ad ejusmodi functiones gerendas requiruntur, ut sive Ecclesiastico sive Scholastico docendi muneri præficiantur, jussioni Filii Dei (Nam non humani consilio, vel auctoritate, sed divino nutu ista fiunt) parere, & alacri mente officia injuncta adire, inque iis fidelitatem pro posse præstare debeant. Multa fuerunt, quæ Apostolos absterere potuerant, quo minus legationem illam obirent. Non ignota erat Pontificum Judaicorum improbitas, non crudelis Pharisaorum & Scribarum furor, non totius populi vacillans inconstantia. Iniquum quoque videri poterat, ex tam magno auditorum cœtu, duodecim solos tantis laboribus atque periculis objici: imo saltem binos atque binos mitti, ut sic quasi divisa acies tanto facilius ab hoste obtereri possit. Atqui nihil horum ipsi in quaestione vocant: sed voluntatem suam ita in obsequium Christi captivant, ut quodcumque ipse jussit & imperavit, ipsi prompte exsequantur. Nam ut dicit Lucas, *circuibant evangelizantes*, hoc Marcus ita exprimit, *prædicabant, ut respicerent.* Hisce enim verbis, ut jam aliquoties dictum est, argumentum & summa doctrinæ Christi in Novo Testamento innuitur. Nam Evangelium generatim, & pro

& pro tota doctrina Christi, acceptum, est prædicationis poenitentiae & remissionis peccatorum. Neque enim ex Evangelio addiscere possumus, nos in Christo esse benedicendos, nisi per antithesin, ut Lutherus loquitur, simul agnoscamus, nos per legem esse maledictos. *Μετάνοια* item & prædicationis poenitentiae, sive agnitionis peccatorum, necessario præmitti decet, si fides de reconciliacione locum habere debeat. Uterque ergo horum Evangelistarum *συνεδο χριστός* loquitur, unam partem nominans, & totam doctrinam summam intelligens. Sic ut etiam Christus ipsis injunxerat, ut prædicarent, regnum Dei appropinquasse. At vero regnum Dei ingredi non possumus, nisi præteritorum peccatorum poenitentiam agamus, & Evangelio de Jesu Christo fidem habentes, eorum remissionem propter ipsum consequamur. Hoc ergo modo Evangelistæ inter se conjuncti, se mutuo explicant, & doctrinam Ecclesiae illustrant.

Additur etiam, quo successu docuerint. Nimirum miracula conjuncta fuerunt doctrinæ, quibus hæc confirmaretur. Inter miracula autem præcipue nominatur hoc, *dæmonia multa eiciebant*, ut sic constat, tum de auctoritate Christi, qui Apostolis potestatem supra dæmones dederat, tum quod per poenitentiam doctrinam Satanæ regnum everteretur. Christus enim est, qui antiqui serpentis caput conterit, Gen. 3. v. 15. in hoc tantum olim apparuit, sed etiam nunc verbum Evangelii passim prædicari curat, ut dissolvat opera Diaboli, 1. Joan. 3. v. 8. Dæmoniorum ejectioni addunt donum sanationis, & testantur Evangelistæ, quod *πανταχού* ubiq; ubi nimirum ægros invenerunt, qui ipsorum ope levati cupiverunt, ipsos sanarint. Unde rursus efficacia verbi Christi manifesta evadit, siquidem Apostoli alioquin miseri & infirmi, Christo jubente, illa *δυνάμει θεοπρατεινῆ* & potestate sanandi polent.

Cæterum quod Marcus dicit, *ungebant oleo multos ægros & sanabant*, ex eo Papistæ extremam suam unctionem stabiliri contendunt. Quam tradunt tale esse Sacramentum Ecclesiae, quod à Christo hic in Marco sit insinuat, (Concil. Tridentin. cap. 1. de extr. unct.) per Jacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum, ubi sacro oleo ab Episcopo certo anni die & certis exorcismis consecrato, ægri moribundi membra & organa quinque sensuum, certis & conceptis verbis in nomine sanctæ Trinitatis inunguntur, in hunc finem & usum, ut hoc tanquam firmissimo præsidio, moriturus in fine vite munitus sit adversus peccata, mortem & Diabolum, sicque per hanc unctionem plenam peccatorum remissionem accipiat. Et sane si Christus tale præsidium nobis in exitu vite, imminente morte, constituisset, certe sacrilegi essent, qui cæterum fidelium hoc tam salutari præsidio privarent, & extremam illam unctionem rejicerent. Verum si omnes hujus historiae circumstantias diligentissime excutiamus, nihil eorum, quæ Papistæ ficticio suo Sacramento attribuunt, hic inveniemus. Nam 1. Evangelista non dicit, Apostolos eos, qui in agone mortis erant, unxisse, hac opinione, ut in illa unctione haberent ultimum & firmissimum præsidium contra peccata, diabolum & mortem: sed tantum describit donum sanationis, cujus fa-

cultatem se ipsis ad illam legationem concedere, capite præcedente Dominus dixerat. 2. Evangelista non præscribit, quod talis unctio olei, in universa Ecclesia Novi Testamenti, omnibus temporibus usque ad consummationem seculi, fieri & servari debeat: Sed, ut dictum, describit donum sanationis, quod, sicut etiam alia miraculorum dona, temporale fuit, & post propagatum per totum orbem Evangelium desit. 3. Non leguntur Apostoli unxisse eos, de quibus probabiliter præsumebant, quod mox essent morituri: sed sua unctione illos ægros sanabant, ne tunc illa infirmitate morerentur. 4. Non dicit Marcus, Christum Apostolis materiam illam olei, tanquam in omnibus sanationibus infirmorum necessario adhibendam, præscripsisse: Sed hoc tantum innuit, ipsos virtute sanandi à Christo concessa ufuros, olei unctionem tanquam externum symbolum adhibuisse. Unde Apostoli postea, libera observatione, in curationibus etiam alia externa symbola adhibuerunt: qualia fuerunt externus contactus & umbra, Act. 5. v. 15. sudaria & semicinctia, Act. 19. v. 12. manuum item impositio, de qua Marc. 16. v. 18. 5. Nihil etiam hic legimus de mandato Christi, vel etiam de facto Apostolorum, quod oleum illius unctionis debeat prius conceptis verbis esse consecratum & exorcizatum. 6. Neque etiam vel à Christo mandatum, vel ab Apostolis factum legimus, quod organa quinque sensuum in ungerentur. 7. Nulla quoque littera vel syllaba habetur de certa forma verborum, qualis in Papatu usitata est. 8. Finem denique & effectum hujus unctionis Marcus non dicit fuisse, ut per eam peccata delerentur, & insidiæ diaboli in morituris reprimerentur: Sed ut hoc externo symbolo, quod tum temporis inter Orientales usitatum erat, donum corporalis sanationis administraretur. Ex quibus omnibus Sole meridiano magis clarum est, Christum hoc in loco tale Sacramentum, pro illis, qui in exitu vite constituti sunt, quale Pontificii Ecclesiis obtrudunt, nec instituisse, nec (ut Tridentini Patres loquuntur) insinuasse. Et hoc usque adeo manifestum est, ut aliqui Pontificii Scriptores, & inter hos etiam Cornelius Jansenius, evidentia rei moti, scribant: verisimilius esse, hanc Apostolorum unctionem non fuisse eandem cum Pontificia Sacramentali, quia Apostolorum unctio potissimum facta sit propter sanitatem corporalem, cum Ecclesiastica unctio potissimum fiat pro remissione venialium peccatorum, & mentis allevatione. Quemadmodum autem Ecclesiastica ista unctio nullum fundamentum habet in hoc Marci textu: illa nihilo plus Pontificios juvat dictum Jacobi cap. 5. v. 14. Illius enim loci hæc vera est sententia. Cum multi in primitiva Ecclesia essent, qui dono sanationis, quod tunc exstabat, vel abuterentur, vel non recte uterentur, Jacobus præscribit modum & formam, quomodo pie, salutariter & ad ædificationem dono illo utendum sit. Ne scilicet usurpetur tanquam chirurgicum aut medicum aliquod artificium, sed ut extraordinarium beneficium DEI, ob filium concessum. Ideo infirmum ante omnia debere agnoscere peccata, quæ essent causa morbi: hæc vero peccata tolli & remitti propter fidem in Christum: tum institui etiam debere preces publicas, quibus infirmus etiam suas adjungat, si proficaces

ficaces eas esse velit : denique unctionem addi debere, quæ sit Symbolum illius miraculosæ sanationis. In his omnibus nihil auditur, quod cum superstitiosa illa Pontificia unctione, quæ peccatorum remissionem procuret, conveniat. Nam remissio peccatorum, cujus hic mentio fit, non adscribitur unctioni, sed diserte tribuitur orationi fidei, quæ etiam, citra unctionem fieri potest. Ju-

dicent ergo omnes sani & sancti, quæ hæc sit audaciam, anathema dicere omnibus, qui negent eam unctionem esse vere & proprie Sacramentum, à Christo Domino nostro institutum, & à beato Apostolo Jacobo promulgatum, ut faciunt Tridentini Concilii Patres: cum tamen ne litera quidem de eo hic inveniat. Sed Dominus ista videt & judicat.

CAPUT LXXIV.

CONTINENS HISTORIAM DECOLLATIONIS
BAPTISTÆ, MATTH. 14. v. 6. MARC. 6.

vers. 21.

RATIO ORDINIS.

Uas distinctas esse historias, historiam decollationis Joannis Baptistæ, & famam de Jesu apud Herodem sparsam, quæ etiam diversis temporibus, & quidem ita acciderint, ut decollatio præcesserit, opinio autem divinitatis de Joanne, subsecuta sit, quis facile videt & intelligit. Ordine enim naturæ præcedit mors, & sequitur opinio post mortem. Qua de causa & nos eas in Harmonia separabimus, & quidem eo ordine collocabimus, licet Evangelistæ relationem de fama Jesu præponant, quia nimirum fama illa ex prædicatione Apostolorum, quam plurimis miraculis confirmarunt, orta erat. Licet autem non desint, qui putent decollationem Baptistæ diu ante emissionem Apostolorum factam esse, & Evangelistas hac occasione, quod ad Herodem fama de miraculis Christi delata fuit, simul historiam de morte Baptistæ per Rememorationem & Recapitulationem referre; (sicuti Luc. c. 3. v. 19. simili occasione incarcerationem non suo loco narrat.) Matth. tamen certa notatione ordinem hujus historię monstrat. Dicit enim discipulos Baptistæ, post soluto officio sepultura, venisse ad Christum, & nunciasse ea quæ acciderunt circa Joannem. Eodem vero tempore, sicut Marcus & Lucas annotarunt, Apostoli ex legatione sua quoque redierunt, & quæ docuerint atque fecerint, retulerunt. Inde mox Christus secessit in desertum, ubi edidit miraculum de quinque panibus.

Tempus vero Joannes notavit, fuisse scilicet prope Pascha festum Judeorum. Joan. 6. v. 4. Ergo hæc non nimium procul à se invicem sunt removenda. Ex hoc etiam fundamento constitui potest supputatio historię Baptistæ. Conjectus enim fuit in carcerem quatuor mensibus ante messem (ut demonstratum est c. 3. hujus Harmonię) hoc est, tribus mensibus ante secundum Pascha ministerii Christi. Joan. 4. v. 35. Et cum prope esset tertium Pascha ministerii Christi, Joan. 4. vers. 4. interficitur. Detentus igitur fuit in carcere per integrum annum & duos fere menses. Nam mensem fortassis ante Pascha, sub medium nostrum Martium, Joannem decollatum esse, inde colligimus: quia post decollationem veniunt discipuli, sepeliunt

eum in Sebaste, inde accedunt Christum, cum quo postea discedunt in desertum. Hisce omnibus tribuenda erunt ad minimum duæ septimanae. Cum in deserto essent, Joannes dicit prope fuisse Pascha. Huic tempori quoque duas septimanas tribuamus, quia Joan. 11. v. 55. confirmilem habemus temporis notationem, ubi duæ septimanae commodissime intelliguntur. Ergo mensem unum ante Pascha Joannes occubuit. Jam porro Joannes Baptistæ suum ministerium incoavit mense Septem. prout supra 16. c. Harm. indicatum est: tum sequitur, cum liberum & saluum in ministerio suo versatum, annum unum & menses quatuor, usque ad Januariam scilicet anni sequentis. Sicut ergo cum Christo in ministerio versatus est, priusquam in carcerem conjiceretur, annum integrum & duos menses (si Christus baptizatus statuatur in mense Novembri, juxta Epiphaniæ annotationem) ita etiam annum integrum & duos menses in vinculis testimonium de ipso perhibuit. Adeoque totus cursus ministerii Baptistæ usque ad mortem ejus erit duorum annorum & sex mensium, quem terminum etiam Nicephor. lib. 1. Eccl. hist. c. 19. ipsi tribuit. Nec quæquam turbet, quod in Martyrologio & Ephemeridibus festum decollationis Joannis Baptistæ refertur ad 29. diem mensis Augusti. Nam Lombardica historia testatur, hoc festum quatuor de causis institutum esse 1. propter Baptistæ decollationem. 2. propter ossium ipsius collectionem & concremationem. 3. propter capitis ipsius inventionem. 4. propter digiti translationem & Ecclesiæ dedicationem. Et diserte fateatur, decollationem non illo die, sed circa diem azymorum anno præcedente passionem Christi accidisse, illo vero die ossium concremationem & templi dedicationem factam esse, unde etiam ab aliis non decollationis, sed Concremationis & Dedicationis festum appelletur. Certum itaque tempus hujus historię, non ex Martyrologiis, sed ex Evangelistarum scriptis, & superius notatis circumstantiis est desumendum.

* * * * *

HISTO-